

25 marzo 2021

Il punto su Marziale

L'EPIGRAMMA A ROMA ALL'EPOCA DI MARZIALE

1. Plin. 4, 14, 2-3 e 8-9 Accipies cum hac epistula hendecasyllabos nostros, quibus nos in vehiculo in balineo inter cenam oblectamus otium temporis. His iocamur ludimus amamus dolemus querimur irascimur, describimus aliquid modo pressius modo elatius, atque ipsa varietate temptamus efficere, ut alia aliis quaedam fortasse omnibus placeant. [...] Sed quid ego plura? Nam longa praefatione vel excusare vel commendare ineptias ineptissimum est. Unum illud praedicendum videtur, cogitare me has meas nugas ita inscribere 'hendecasyllabi', qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde, sive epigrammata sive idyllia sive eclogas sive, ut multi, poemata seu quod aliud vocare malueris, licebit voces; ego tantum hendecasyllabos praesto.

2. Petr. *Sat.* 34 Dum titulos perlegimus, complosit Trimalchio manus et: "Eheu, inquit, ergo diutius vivit vinum quam homuncio. Quare tangomenas faciamus. Vita vinum est. Verum Opimianum praesto. Heri non tam bonum posui, et multo honestiores cenabant." Potantibus ergo nobis et accuratissime lautitas mirantibus larvam argenteam attulit servus sic aptatam ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem fletcherentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abieceret, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit: Eheu nos miseros, quam totus homuncio nil est! / Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. / Ergo vivamus, dum licet esse bene.

3. Tac. *Dial.* 10 Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omnisque eius partis sacras et venerabilis puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem [et] epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo.

4. Mart. 12, 94 Scribebamus epos; coepisti scribere: cessi,
 Aemula ne starent carmina nostra tuis.
 Transtulit ad tragicos se nostra Thalia coturnos:
 Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
 Fila lyrae movi Calabris exculta Camenis: 5
 Plectra rapis nobis, ambitiose, nova.
 Audemus saturas: Lucilius esse laboras.
 Ludo levis elegos: tu quoque ludis idem.
 Quid minus esse potest? epigrammata fingere coepi:
 Hinc etiam petitur iam mea palma tibi. 10
 Elige, quid nolis — quis enim pudor, omnia velle? —
 Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

UNO SPAZIO PER L'EPIGRAMMA

a. Il nome

5. Mart. 1, 1 Hic est quem legis ille, quem requiris,
 toto notus in orbe Martialis
argutis epigrammaton libellis:
 cui, lector studiose, quod dedisti
 uiuenti decus atque sentienti, 5
 rari post cineres habent poetae.

6. Mart. 1. 118 Cui legisse satis non est epigrammata centum,
 nil illi satis est, Caediciane, mali.

b. La tradizione

7. Mart. 1 epist. 4 Lasciam uerborum ueritatem, id est epigrammaton linguam, excusarem, si
meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicumque
perlegitur.

8. Mart. 5, 5 Sexte, Palatinae cultor facunde Mineruae,
 ingenio frueris qui propiore dei -
 nam tibi nascentes domini cognoscere curas
 et secreta ducis pectora nosse licet -:
sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis, 5
qua Pedo, qua Marsus quaque Catullus erit.
Ad Capitolini caelestia carmina belli
 grande cothurnati pone Maronis opus.

c. Il libro

9. Mart. 7, 99 Sic placidum uideas semper, Crispine, Tonantem
 nec te Roma minus quam tua Memphis amet,
 carmina Parrhasia si nostra legitur in aula,
 (namque solent sacra Caesaris aure frui)
 dicere de nobis ut lector candidus aude 5
 "Temporibus praestat non nihil iste tuis,
nec Marso nimium minor est doctoque Catullo."
 Hoc satis est: ipsi cetera mando deo

10. Mart. 7, 81 "Triginta toto mala sunt epigrammata libro."
 Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est.

Cfr. Mart. 1, 16 Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura / quae legis hic: aliter non fit, Auite, liber.

- 11.** Mart. 7, 90 lactat inaequalem Matho me fecisse libellum:
 si uerum est, laudat carmina nostra Matho.
 Aequales sribit libros Caluinus et Vmber:
 aequalis liber est, Cretice, qui malus est.
- 12.** Mart. 7, 85 Quod non insulse scribis tetrasticha quaedam,
 disticha quod belle pauca, Sabelle, facis,
 laudo nec admiror. Facile est epigrammata belle
 scribere. Sed librum scribere difficile est.

ELEMENTI ‘AUTOBIOGRAFICI’

- 13.** Mart. 10, 74 Iam parce lasso, Roma, gratulatori,
 Lasso clienti. Quamdui salutator
 Anteambulones et togatulos inter
 Centum merebor plumbeos die toto,
 Cum Scorpus una quindecim graves hora 5
 Ferventis auri victor auferat saccos?
 Non ego meorum praemium libellorum
 — Quid enim merentur? — Apulos velim campos:
 Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,
 Nec quae paludes delicata Pomptinas 10
 Ex arce clivi spectat uva Setini.
 Quid concupiscam quaeris ergo? dormire
- 14.** Mart. 10, 96 Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
 Miraris, Latia factus in urbe senex,
 Auriferumque Tagum sitiam patriumque Salonem
 Et repetam saturae sordida rura casae.
 Illa placet tellus, in qua res parva beatum 5
 Me facit et tenues luxuriantur opes:
 Pascitur hic, ibi pascit ager; tepet igne maligno
 Hic focus, ingenti lumine lucet ibi;
 Hic pretiosa fames conturbatorque macellus,
 Mensa ibi divitiis ruris operta sui; 10
 Quattuor hic aestate togae pluresve teruntur,
 Autumnis ibi me quattuor una tegit.
 I, cole nunc reges, quidquid non praestat amicus
 Cum praestare tibi possit, Avite, locus.
- 15.** Mart. 12 *epist.* Scio me patrocinium debere contumacissimae trienni desidiae; quo
 absolvenda non esset inter illas quoque urbicas occupationes, quibus facilius consequimur, ut
 molesti potius, quam ut officiosi esse videamur; nedum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam
intemperanter studemus, et sine solacio et sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem. In
 qua hoc maximum et primum est, quod civitatis aures, quibus adsueveram, quaero et video mihi in
alieno foro litigare; si quid est enim, quod in libellis meis placeat, dictavit auditor: illam iudiciorum
subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, convictus, in quibus studere se

voluptates non sentiunt, ad summam omnium illa, quae delicati reliquimus, desideramus quasi destituti.

16. Mart. 12, 2 Ad populos mitti qui nuper ab Urbe solebas,
 Ibis, io, Romam nunc peregrine liber
 Auriferi de gente Tagi tetricique Salonis,
 Dat patrios amnes quos mihi terra potens.
 Non tamen hospes eris, nec iam potes advena dici, 5
 Cuius habet fratres tot domus alta Remi.
 Iure tuo veneranda novi pete limina templi,
 Reddita Pierio sunt ubi tecta choro.
 Vel si malueris, prima gradiere Subura;
 Atria sunt illic consulis alta mei: 10
 Laurigeros habitat facundus Stella penatis,
 Clarus Hyanteae Stella sitior aquae;
 Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
 Unde novem dominas saepe bibisse ferunt:
Ille dabit populo patribusque equitique legendum, 15
 Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
 Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

TESTI VARI

a. epigrammi comici

17. Mart. 1, 10 Petit Gemellus nuptias Maronillae
 et cupid et instat et precatur et donat.
 Adeone pulchra est? Immo foedius nil est.
 Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

Cfr. Enn. *Var.* 17-18 Vahlen Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu / faxit. Cur? Volito vivos per ora virum.

18. Mart. 1, 32 Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare:
 hoc tantum possum dicere: non amo te.

19. Mart. 5, 53 Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
 quo tibi uel Nioben, Basse, uel Andromachen?
 Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
 Deucalion uel, si non placet hic, Phaethon.

Cfr. AP 11, 214 (Lucillio) Γράψας Δευκαλίωνα, Μενέστρατε, καὶ Φαέθοντα / ζητεῖς, τίς τούτων ἄξιός
ἐστι τίνος. / τοῖς ἰδίοις αὐτοὺς τιμήσομεν· ἄξιος ὅντως / ἐστὶ πυρὸς Φαέθων, Δευκαλίων δ' ὕδατος.

b. epigrammi funerari

20. Mart. 6, 85 Editur en sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
 nec te lectorem sperat, amice, liber:
 impia Cappadocum tellus et numine laevo
 uisa tibi cineres reddit et ossa patri.
 Funde tuo lacrimas orbata Bononia Rufo, 5
 et resonet tota planctus in Aemilia:
 heu qualis pietas, heu quam breuis occidit aetas!
 uiderat Alphei praemia quinta modo.
 Pectore tu memori nostros euoluere lusus,
 tu solitus totos, Rufe, tenere iocos, 10
 accipe cum fletu maesti breue carmen amici
 atque haec absentis tura fuisse puta.

21. Mart. 10, 50 Frangat Idumaeas tristis Victoria palmas,
 Plange, Favor, saeva pectora nuda manu;
 Mutet Honor cultus, et inquis munera flammis
 Mitte coronatas, Gloria maesta, comas.
 Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, iuventa 5
 Occidis et nigros tam cito iungis equos.
 Curribus illa tuis semper properata brevisque
 Cur fuit et vitae tam prope meta tuae?

c. Gli epigrammi per Muzio Scevola

22. Mart. 1, 21 Cum peteret regem, decepta satellite dextra
 ingressit sacris se peritura focus.
 Sed tam saeuia pius miracula non tulit hostis
 et raptum flammis iussit abire uirum:
 urere quam potuit contempto Mucius igne, 5
 hanc spectare manum Porsena non potuit.
 Maior deceptae fama est et gloria dextrae:
 si non errasset, fecerat illa minus.
23. Mart. 8, 30 Qui nunc Caesareae lusus spectatur harenae,
 temporibus Bruti gloria summa fuit.
 Aspicis ut teneat flamas poenaque fruatur
 fortis, et attonito regnet in igne manus?
 Ipse sui spectator adest et nobile dextrae 5
 funus amat: totis pascitur illa sacris;
 quod nisi rapta foret nolenti poena, parabat
 sacuior in lassos ire sinistra focos.
 Scire piget post tale decus quid fecerit ante:
 quam uidi satis hanc est mihi nosse manum. 10

24. Mart. 10, 25 In matutina nuper spectatus harena
 Mucius, inposuit qui sua membra focis,
 Si patiens durusque tibi fortisque videtur,
 Abderitanae pectora plebis habes.
 Nam cum dicatur tunica praesente molesta
 'Ure manum,' plus est dicere 'Non facio.'

5

Per l'analisi

- a. epigrammi scommatici
- b. epigrammi funerari
- c. gli epigrammi su Muzio Scevola